

S. VINCENTIVS
LIRINENSIS
VINDICATVS.

HENRICVS NORIS

Calumniæ à scipso conuictus,
& Retractatus.


Opera R. Adm. P.

FRIDERICI
STVMELII

Recollecti ex Obseruantia Le-
ctoris Iubilati Exprouin-
cialis Prouinciae
Thuringiae.



GROECII
Anno 1677.



DOctrina Iansenij lib. 3. de Grat.
Christ. Saluat. pag. 104. & Noris
in Vind. c. 3. pag. 86. Dicentium Ada-
mum ante peccatum non indiguisse
oratione, & recursu ad Deum ad ser-
uanda mandata reprobatur à S. Inno-
centio I. Papa Epist. 93. inter Epistolas
Augustini Tomo 2.

*O Prauissimarum mentium peruer-
sa doctrina: aduerte tandem quod pri-
mū hominem ita libertas ipsa decepit,
ut dum indulgentius frenis eius utitur
in præuaricationem præsumptione con-
ciderit, nec ex hac potuit erui, nisi ei
prudentia regenerationis statum pri-
stinae libertatis Christi Domini resor-
masset aduentus. Audi David dicen-
tem; Adiutorium nostrum in nomine
Domini: Et, Adiutor meus esto, ne
derelinquas me, neque despicias me,
Deus salutaris meus: que in cassum di-
xit, si tantum in eius erat possum voluntate,
quod à Domino flebili sermone
poscebat.*

Non mihi ariogo hoc munus iudicandi, sed illud mihi ab amicis fuit extortum. Habent enim preces amicorum taciti pondus imperij. Expono illud modestè subdens aliorum iudicio meum, dico paucis, & sincere sineulla affectione animi; res est grauis, & quam vulgus pulat grauior; liquebit ex discursu.

Quæstiones hic sunt geminæ. Una de facto: altera de iure: de facto Vtrum Sanctus Vincentius Lirinensis fuerit doctrina Semipelagianus? de iure; Vtrum supposito, quod fuerit, condemnandus sit? Quoad primam constat, manifestè, non fuisse Semipelagianum, neque materialiter, ut loquar Theologicè. Hoc probant scripturæ contra Henricum de Noris, & ipse fatetur ingenuè in sua *Censura Itala*, & mihi priorsus constat: nec in toto Comamonitorio Vincentij Lirinensis reperitur illa particula, *nostris viribus, vel sine gratia;* sine qua Pelagianus dici non potest; benè itaque Noris agnouit errorem suum, quem religiosè correxit. Hinc sequitur auferri quæstionem de iure, etenim si factum nullum fuit, non est locus quæstioni, Vtrum male, vel benè egerit, & vtrum ob id sit condemnandus? cum corpus delicti non extet. Aliter excitatur quæstio de Sancto Cypriano: Vtrum de facto erraverit circa rebaptismum baptizatorum ab Hæreticis? factum quippè verum est, cùm

Cyprianus materialiter errauerit , vnde iure excitatur quæstio de iure, Vtrum Cyprianus errat formaliter? Apparet igitur , & laudatur retractatio Noris in hac parte, ac statuitur Vincentium Lirinensem non fuisse , neq; materialiter Semipelagianum .

Esse autem Scriptores aliquos affirmantes factum , parum iuuat causam Noris, quia nullus auctor antiquus innenitur qui affirmet de Vincentio Lirinensi talem doctrinam, imò ante Vossium hæreticum Auctore nullus videtur culpasse Vincentium Lirinensem , neque Noris Vir eruditissimus alium potuit reperire anteriorem, etiam si recurrisset ad Virum doctissimum, huius seculi liberarium miraculū , Antonium Magliabechū , qui cùm bene cupiat Henrico Noris, totam Bibliothecam Magni Ducis euoluic , quæ summa est omnium Bibliothecarum , sed incassum , nec enim potuit antiquum aliquem reperire . Igitur malus , & primus est Vossius; reliqui qui paucissimi sunt Neoterici, temerè dixerunt , si dixerunt tamen . Pontio enim fidem habere nolo , nec enim est noster Pontius , sed quidam Eremita Augustinianus, Vir quidem insignis , & Salmaticensis Doctor , sed tamen vexatus propter asperitatem doctrinæ , nec iste Liber , qui citatur classicus est , & inter tineas , & blattas versatur . Itaque nescimus vnde prodierit . Dato tamen hos Auctores hunc errorem Vincentio Lirinensi impofuisse, excusari possunt,

sunt, quia obiter tantum dicunt, & citram calumniam, cum minimè affirment in Commonitorio inueniri illam particulam, (*nostris viribus, vel sine gratia*) sicuti affirmat falsò Noris lib. 2. de Hist Pelag. c. 11. & in Vind. pag. 212. illum æquipatans Fausto, & Cassiano, quod non debuit dicere, & debuit pro sua pietate retractare. Quarè alij Scriptores moderni sunt tolerandi, nihil enim calumniosum, & falsum dixerunt, at vero Noris ausus est addere particulam *nostris viribus* de suo, inferente Semipelagianismū, & textum Vincentij adulterare, affirmans se monstraturum euidenter in Commonitorio eiusdem apertum Semipelagianismum, quod est falſissimum. Maneat ergo quæſtione de facto nullam esse, & teneri Henricum de Noris ad restitutionem famæ Sancto Vincentio Lirinensi, nec esse tranſeundum ad aliam quæſtione de iure, quæ sublata quæſtione de facto prorsus auferitur.

Est aliud argumentum euidentis ad liberandum eundem Vincentium ab errore materiali, nempe testimonium Ecclesiæ in Martyrologio Romano: cuius formula est *Sancti Vincentij Lirinensis doctrina, & sanctitate conspicui*, quæ clausula stare non potest cum doctrina materialiter erronea. Ratio est clara, quia doctrina Semipelagiana non potest laudari positiuè ab Ecclesia Catholica, etim postea fuerit declarata hæretica, sicuti nunquam potuit laudari Nestorianismus;

Eutychianismus, etiam quando erat error materialis, quia error erat; ex quo apparet tolerari quidem sine nota hæresis potuisse, sed minimè laudari; sequeretur enim, doctrinam Commonitorij, quæ, auctore Nori, erat contraria Sancto Augustino, approbari ab Ecclesia, quod non potest stare cum approbatione doctrinæ Sancti Augustini. Itaque cogitur Noris fateri Augustinum, non fuisse conspicuum propter doctrinam, cum enim essent contradictorii non possent ambæ approbari. Hoc argumentum est infallibile; nec valet eslūgium excogitatum à fīcto Noris, scilicet e:iam Sanctum Cyprianum errasse, & tamen in Martyrologio contineri; id enim est futile, & suspectum, quia vis argumenti non procedit à loco Martyrologii, in quo multi Sancti peccatores, & aliquando hæretici, penitentes tamen, continentur, sed procedit à clausula, quæ afficit canonizationem: qualis est probare doctrinam Vincentij Lirinensis, quæ intrat motuum formale canonizationis ipsius, & quamquam idem de Cypriano affirmatur in Martyrologio cum eadem fermè clausula, nihil inde colligitur in favorem Aduersarij, quia Cyprianus scripsit multa opera probata, & conspicuæ doctrinæ, de quibus potest intelligi illa clausula. Præterea error Cypriani fuit ex ignorantia inuincibili, atque adeo excusabilis apud Scho'asticos: at verò Vincentius Lirinensis, præter Commonitorium nihil.

nihil aliud scripsit; unde approbata Commonitorij doctrina Semipelagianismus approbatur. Nec valet dicere in Commonitorio improbari errores Hæresiarcharum, & proprieà dici posse doctrinam conspicuam, quia illa impugnatio est coniuncta, & inuoluta cum Semipelagianismo, & in contextu eiusdem operis, à qua non potest aueilli, ac probinde probata doctrina Operis, Semipelagianismus probatur. Accedit quòd, Auctor Noris, illud Commonitorium scriptum fuit intuitu impugnandi Augustinam, unde non potuit approbari, cum ea approbatio esset reprobatio Sancti Augustini, quod horū rebit admittere quis Catholicus, nedūm Noris Eremita Augustinianus. Fecit ergo ex Conscientia, Vir Religiosus, & eruditus, dum illam suam opinionem de Semipelagianismo Vincentij retractauit.

Ex tertio capite illam retractare debuit Noris, uti homo versatus in Historia Ecclesiastica, quia sequitur ex Semipelagianismo de facto, posse, ac debere hodiè condemnari, ac expungi è Martyrologio Vincentium Lirinensem. Patet exemplis Origenis, Eusebii, & Didymi, qui suo tempore errarunt materialiter ante definitionem Ecclesiæ, & tamen post mortem suam fuerunt condemnati, uti fatetur ipsem Noris, & habetur in tribus ynodis quinta, sexta, septima. Ecce ita materialiter errantes postea meruerunt proptereà damnari. Affero exemplū ac-

commodatius. Theodorus Mopsuestensis, errauit materialiter viuens, & mortuus est in pace Ecclesiæ, iuxta Norim discessit de Synodo 5.c.7 pag. 70: & adscriptus sacris Dipytichis, nihilominus post mortem suam condemnatus fuit hæreseos in Synodo V. cum scriptis Theodorei contra Cyrillum, & epistola Ibæ ad Matim Persam, quæ fuerunt tria Capitula damnata in V. Synodo generali. Igitur satis est error materialis ad condemnandum, & declarandum hereticum eum qui sic errauit, etiam post mortem; unde sequitur posse, ac debere Ecclesiam (si vera est opinio Noris. Vincentium Lirinensem fuisse Semipelagianum materialiter) illum condemnare, & expungere è Catalogo Sanctorum; quod quam sit horribile, nemo non videt; est enim par ratio, cum Theodorus errarit tantum materialiter, & mortuus fuerit in communione Ecclesiæ, & in Sanctorum Dyptichis collocatus. Vedit prudenter Noris sequelam, ac ideo suam retrahuit sententiam; quam hic fictus Noris dum contendit sustinere redigit in magnas angustias Purpuratos Romanæ Ecclesiæ Patres obligando illos ad condemnandum. Vincentium Lirinensem, postquam definita fuit doctrina contraria Semipelagianæ, quemadmodum Patres V. Synodi obligati fuerunt ad condemnandum Theodorum Mopsuestenum omnino similem in errando Vincentio Lirinensi. Non disputo qua ratione

(VII.)

tione id factum fuit, suppono enim iustitiam cautæ; & posse quemquam hæreticum, etiam post mortem damnari cum Sancto Augustino approbato in Synodo V. Videò tamen rationabile esse credere hominem, doctum vix posse errare materialiter in dogmatibus fidei, nisi simul errando formaliter; talis erat meo iudicio Theodorus, & talis Vincentius, si iste de facto erraret, quod negandum est, ne, si concedatur cum Henrico Noris, sequatur inde, esse cù Theodoro prescribendum, & condemnandum, cum præfertum Vincentius vix potuerit errare de facto materialiter, nisi etiam erraret deute, cùm scripserit post Epistolam Decretalem Cælestini, ut fatetur ipse Noris, que in communisententia approbabat doctrinā S. Augustini, & reprobabat dogmata Semipelagiana. Accedit quid Vincentius, Auctore Noris, committit alia peccata grauissima quatuor. Primum Adulterare epistolam Cælestini. Secundum scribere contra ipsum Commonitorium. Tertium insimulare hæreses discipulos Augustini. Quartum imponere illi per calumniam obiectiones Vincentianas, idest Portenta errorum intercabilia; propter ista saluari non potuit. Vincentius, nedium Canonizari. Hæc tam sunt evidentia, ut negari nequeant. Itaque & mihi scribenti afferunt horrorem, unde concludo Henricum No. im hominem catholicum, & religiosum, & eruditum de-

buissé suam opinionem retractare, & famam
Viro Sanctissimo Vincentio restituere , &
Ecclesiam ab his angustijs liberare.

Quartum , & adhuc euidentius argumē-
tum formo ex dictis . Si verum eit quod
scripsit Notis lib. 2. Histor. Pelag. cap. 11. in
Commonitorio Vincentij contineri ilam
doctrinam Semipelagianam, non minus per-
spicue quā in Fausto , & Cassiano, debuit
certe condemnari ut opus apocryphum , si
cūti opera Cassiani, & Fausti, cūm præsertim
Commonitorium fuerit in sententia Notis
scriptum contra Sanctum Augustinum , &
in eo ipse Augustinus , & discipuli hæreses
appellantur , & Epistola Cælestini adultere-
tur, quix calumniæ non reperiuntur in scrip-
tis Fausti , & Cassiani . At non videmus
Commonitorium Vincentij Liriensis pro-
scriptū, sicuti opera Fausti, & Cassiani . Notis

Sic in Append. c. 3. pag. 185. Sed quale Ap-
stolica Sedis de Fausti libris iudicium fuerit,
videndum est , ac Sirmondi apologia confu-
tanda. In Romana Synodo coram S. Gelasio
Papa celebrata, actum est de libris recipien-
dis, abiiciendis; porro inter libros à Roma-
na Ecclesia rejectos libri Fausti Reiensis re-
censiti sunt, ydemque hac sententia confixi:
Opuscula Fausti Rheiensis Galliarum apo-
crypha . Cum vero sequenti sacculo de eisdem
libris S. Hormisdas à Possessore Episcopo con-
sultus fuisset, hocce responsum dedit: hi vero
inquit , quos vos de Fausti cuiusdam Galli-

(IX.)

*Antistitis dictis confusis litteris indicatis
ad sibi responsum huncant, neque illum recipi,
neque quemquam, quos in autoritatem Pa-
trum non recipit examen Catholica Fidei,
aut Ecclesiastice discipline ambiguitatem
posse gignere, aut religiosis preiudicium cōpa-
rare. Legit ista Sirmundus, & non modo pro-
bavit, verum etiam ut eadem prorsus ratione
de Fausti libris alteri iudicarent, optauit;
hac enim scribit: Si de Faustiluris decernēdū
est, ne supra Sedem Apostolicam. Gelasium-
que, & Hormisdam sapere velint, quibus sa-
tis fuit non prima illos authoritatis & hoc est
apocryphos dicere, non hereticos. Quid ait Si-
monde? Fausti libros non esse dicendos hereti-
cos? Quid de synodi Arausicana decretis a
Romano Pontifice dictatis sentiendum putas?
His certe, ut in quoque fateris, Semipelagian-
orum errores damnantur, & pricipue Fausti
semipelagianorum Coryphae, qui te quic-
que teste, circa initium fidei, & alia plus ali-
quando tribuere visus est, quam par erat. Ita
ne vero libros continentis errores a Synodis &
Romana sede damnatos Hereticos negatis?
At illud etiam interpretamentum, quo libros
illos apocryphos, hoc est non prima authoritatis
pronuntiatos esse dicens, quam falsum sit, nemo
non videat. Gelasius hoc nigrum theta Heresiar-
charum libris praesigit: Opuscula Iouiniani, &
Galli apocrypha. Opuscula Montani, Priscilla,
& Maximilla apocrypha. Opuscula om-
nia Fausti Manicheis apocrypha. Opuscu-*

In Fausto R̄begiensis Gallicani, apocrypha.
Quare Sirmundo interprete Montani, Fausti
Manchei, ac Iouinianu libri non erunt here-
tici, sed tantum non prime authoritatis. Ca-
uendum ne unā cum Fausto pessimi etiam
H̄eretici excusentur. Ita versus Noris.

Vnde sic aduersus fictum. Primo. Igitur dogmata Semipelagiana eodem auctore de- clidata sunt hæretica formaliter à Gelasio, & Hormisdia ante Synodum Arausicanam quod negabat. Secundo. Si Vincentius ea- dem dogmata Fausti tradiderat, eadem digna erant condemnatione. Igitur & hæ- retica formaliter. Tertio. si extentia Sirmundi sequitur hæreticos excusari etiam pessimos, idem sequitur ex Noris scil. Ariani, Macedonii, Eutycherii, Monothelitas, Icono- daitas, Albigeses, Lutheranos, & Caluinistas, dum non fuerunt ab Ecclesia condemnati excusandos esse, quia per id tempus licitum ijs fuit ea dogmata tradere. Ex quo fiet, ut cùm de multis non constet quando, & ubi fuerint proscripti, excusandi sint cùm sua doctrina, & pro-hæreticis non habeantur. Quo admissio tota Ecclesia perturbabitur. Conuerto in Noris suum in Sirmondum di- stū, *Cauendum ne unā cum Vincentio pessimi etiam H̄eretici excusentur.*

Hactenus de facto. De iure patet. Nam hæresis Semipelagiana fuit damnata cùm primum est orta à Cœlestino I. sua Decreta. Ii: Deinde à Gelasio, postea ab Hormisdia ante illam.

illam quam obtendit Synodus Arausicanus. De Gelasio, & Hormilda negari nequit vi proximi testimonij. Negat de Cælestino, & recurrat ad capitula annexa Decretali, quasi in iis solum damnatio consistat, insiciatur quippe esse Cælestini. In primis hoc est contra communem sensum scriptorum: & satis demonstravit nobilis huius ætatis scriptor Piccinardus Dominicanus, & ante ipsum eius Henricus Hauzen, quibus Noris cedat necesse est. Sed ego illum iuri scriptis valo conuincere. Sola Epistola Decretalis Cælestini sine capitulis satis est ad condemnationem Semipelagianismi. Non est hiatus promissoris: sed veritas scriptoris, Noris testem appello. Ille ipse probat Gennadium (quem aduersus Iesuitam Suarium excusantem à Semipelagianismo contendit forma liter fuisse Semipelagianum) in eam hæc sim incidisse ex sola Decretali Cælestini. Ignitur ea sola sine annexis capitulis sufficiebat ad damnationem semipelagianismi, quod negabat. Profero testimoniū.

In Appendice cap. 4. pag. 188. Cum Cassianus, ac collega Massilienses Augustini doctrinam carperent, Prosper, & Hilarius ex Gallia Romam profecti, rem Pontifici Cælestino deculerent, qui de Augustini fama sollicitus litteras statim ad Gallia Episcopos dedit, in quibus dolere se significauit, quod nescio quibus Presbyteris illic impunè liceret, Augustino erroris notans inurere. Cap. 1. Ibidem

etiam Prosperum, & Hilarium commendat
quorum, inquietus, circa Deum sollicitudo
laudanda est. Cap. vero 2. quod & ultimum
illius epistola est, quicquid alij vulgo arbitri-
ari finit, eximia laudum assertione S. Augus-
tinum exornat, dicens contra eiusdem ca-
lumniatores. Vnde resistendum talibus, quos
male crescere videntur. Qui igitur fieri po-
tuit, ut Gennadius & ipse Massiliensis, qui
eodem saeculo paulo post Prosperum flouruit,
hoc celebre Celestini decretum ignorauerit?
Sane S. Prosper in inicio libri contra Collatorem
protestatur, se scribere contra Cassianum
quem licet non nominet, ex libro eiusdem,
quem sibi impugnauit dicit, evidenter il-
lum designat. At cap. 42. afferit a Celestino
Pontifice Cassianum cum seculis acriter repre-
hensum fuisse: Per hunc verum inquit, nempe
Celestium, intra Gallias istes ipsi, qui san-
cta memoria Augustini scripta reprehendunt
maleloquentia est adempta libertas, quando
consultantium (quo nomine se, & Hilarium
indicat) actione suspecta, & librorum, qui er-
rantibus dispicebant, pietate laudata, quid
oporteret da eorum authoritate sentiri, dan-
do manifestavit eloquio. Et recitate ce-
lebri illo Celestini de Augustino eloquio ast:
Contra istam clarissimam laudationis subam,
contra istam sacratissimi testimonij dignita-
tem audet quisquam maligna interpretatio-
nis murmur committere? Ergo ne Gennadium
sedulius litterarum ac librorum collectorem

Celestini epistolam ad suos Massilienses datam
ignorasse arbitratimur ? Apud Gennadium
hanc ignorantiam facti . Profecto ille facetur,
se Prosperi librum contra Cassianum legisse :
huc enim scribit cap . 84 . de Scriptis illu-
stribus , ubi de Prospero agit : Legi & librum
aduersus opuscula sub persona Cassiani , que
Ecclesia Dei salutaris probat , ille infamas
nociuit . Inquit Gennadius in cap . 42 . libri
Prospere nocturni , istum de Celestino scribere :
Per hunc virum intra Gallias istis ipsis , qui
S . mem . Augustini dicta reprehendunt ; male-
loquentia est adempta libertas . At quinam
isti fuere ? Cassianus , inquis , & cum eo ali-
qui eiusdem ordinis Presbyteri . Prolegom . 5 c .
6 . num . 7 . Quare Gennadius ex libro Prosperi
cognovit à Celestino Cassiani , & cum sociorum
temeritatem reprehensam , qua contra Sanctum
Augustinum doctrinam insolenter insurrexe-
runt ; cognovit Prosperi pro Augustino lega-
tionem suscepit , & à Romano Pontifice
Laudatam : cognovit ex Celestini elogio ibi-
dem inserto : Augustinum nec unquam sini-
stra suspicionis rumore aspersum . His tamen
omnibus probè cognitis Gennadius sanata
Cassiani doctrinam , Prosperum infamatorem ,
Augustinum in multiloquio errantem blate-
rare non extimuit .

Hæc Noris contra Suarez . Hæc eadem
ego contra fictum Norim qui negat iustam
veri Noris retractionem ; nam hic ut
Christianus , & pius debuit sua ductus con-
scientiam .

scientia palinodiam canere à pietate, & iustitia imperaram, siue qua salutari non poterat. Landanda est igitur Notis Retractatio, & sustinenda, non vituperanda, & auferenda.

Omitto hic aliud argumentum pro iure, scilicet Semipelagianam heresim in Pelagiana fuisse damnatam. Idque coadum fateri Norim lib. 1. de Hist. Pelag. c. 15, pag. 97. & in Vind. pag. 214, quo iustior apparat i alnodia. Quæ certè grauis non erit ei affecto sibi contradicere, ut ex subiecto constabit.

ANTILOGIAE

siue Contradictiones.

HENRICI NORIS.

I. Ib. 1. cap. 2. & 3. de Hist. Pelag. liberat Russium contra S. Neronymum, & Gelasium Papam. Eundem condemnat in diss. de V. Synodo, cum ijsdem Hieronymo, & Gelasio.

II. De Ioanne Ierosolymitano diuersa omnino tradit lib. 1. cap. 2. pag. 18. & c. 10. pag. 69. circa condemnationem, & absolutionem Pelagij.

III. Lib. 2. cap. xi. pag. 73. ait catifam Pelagij in sola synodo Diopolitana agita tam, & ibi Pelagium absolutum. Lib. autem 1. cap.

- I. cap. 2. pag. 18. & cap. 10. pag. 69 affirmat eam fuisse agitatam Hierosolymis, & Diospoli, & in ijs absolutum Pelagium.
- IV. Lib. 1. cap. 16. ad finem, & cap. 19. agens de libris Iuliani contra Augustinum, & Augustini contra Julianum, & rursus cap. 21. & 22. habet multa **contradictoria**, & absurdia.
- V. Lib. 2. de Hist. Pelag. c. 2. pag. 166. & cap. xi. pag. 239. & 246. & 248. affirmat Vincentium Lirinensem didicisse, & scripsisse Semipelagianismum in Monasterio Lirneni sub Fausto Abate. Contrarium scribit c. xi. pag. 251.
- VI. Lib. 2. de Hist. Pelag. c. xii. afferit Vincentium Lirinensem detorsisse litteras Cælestini contra Catholicos, & aduersus Prosperum in fauorem Semipelagianorum. In Vind. autem sibi contradicit afferens eundem Vincentium Lirinensem in bonum sensum accepisse literas Cælestini in fauorem Catholicorum, & Prosperi, pag. 212.
- VII. Lib. 2. c. xii. pag. 252. & in Append. c. 2. pag. 180. & pag. 198. & sepe alibi negat Semipelagianismum fuisse damnatum ante Concilium Arausicanum secundum, ut liberet a nota heresis Cassianum, Faustum, Vincentium, & Hilarium. Contradicit tamen scribt. lib. 2. Hist. Pelag. pag. 300. & in Append pag. 182. 183. 186. 187. & in Vind. pag. 218.

(XVI.)

VIII. In Vind c. 8. loquens de Epistola Crælestini negat illam per se sufficere ad damnandos Semipelagianos. Oppositum dicit lib. 2. Hist. Pelag. cap. 10. pag. 237. ubi per spiculè Calestinus, inquit, *Primus Romanorum Praefulum Sancti Augustini doctrinam consecravit.* Idem dicit contra se pag. 213. 218. 285. in Vind.

IX. In ijsdem locis negat ante Concilium Arnsicanum fuisse damnatos Semipelagianos. Contra sentit lib. 2. de Hist. Pelag. c. 17. & c. 19. & in Append. cap. 2. & 3. in Vind. c 6.

X. Negat in Epistola manuscripta missa Romam ad Tribunal Sancti Officij Semipelagianos damnatos fuisse in Pelagianis. Contrarium dicit lib. 1. Histor. Pelag. cap. 15. pag. 97. & in Vind. pag. 214.

XI. Cassianum extollit lib. 2. de Hist. Pelag. c. 12. Eamdem deprimit in Append. cap. 6.

XII. Affirmat damnatos a Gelasio apocryphos libros Cassiani, & Fausti in Append. pag. 185. tanquam hæreticos, contra Sermundum. Contrarium dicit in Epistola missa ad Tribunal Inquisitionis pro Sermundo. ibi pag. 9.

XIII. Lib. de hist. Pelag. cap. 10. 11. & in Append. cap. 2. damnat Cassianum. Eundein laudat in eadem Epistola ad Sanctum Officium missa pag. 17.

X. V. Cardinalem Sadoletum Semipelagianum

(XVII.)

gianum facit in Vindic. pag. 148. ad 153.
eundem tamen absoluit in eadem Epist.
missa ad S. Officium.

XV. Lib. 2. c. 16. Gennadium conatur absol.
uere, & rursum damnare : nec sibi constat
in Append. c. 4.

XVI. Negat in Vindic. cap. 8. pag. 211. &
212. Capitula annexa Epistolæ Cælestini
esse eiusdem Cælestini. Contrarium affir.
mat. c. 6. pag. 190. & hic dicit nouem, &c.
illic dicit decem capita fuisse.

XVII. Lib. 1. de Hist. Pelag. cap. 5. pag. 31.
& 35. ait. libros de peccatorum metitis, &
remissione dicatos esse Marcellino, quod
est verum; sed in eodem lib. cap. 7. pag. 48.
refert librum de nat. & grat. fuisse dedi.
catum eidem Marcellino, quod est fal.
sum, fuit enim dedicatus Timasio, & Ia.
cobo.

XVIII. Lib. 1. Hist. Pelag pag. 17. Cælesti.
num ait esse Achatem Pelagij. pag. 119.
negat, & Annianum armigerum Pelagij
vocat.

XIX; Huc pertinet quod ponit lib. 1. Hist.
Pelag. c 3. pag. 21. Disputationes habitas
in libro de vita beata in die natalitio Au.
gustini fuisse inter doctissimos viros agi.
tatas. quod non est verum, cum illi viri
essent partim solis litteris humanioribus
instructi, partim etiam grammaticæ ex.
pertes, & omnes discipuli Augustini cum
Eliolo Adeodato, & matre Monica, de.
citat.

(XVIII.)

erat vero in ea disputatione Alipius, qui
solus habeti, & vocari poterat doctus,
Quomodo ergo vocat doctissimos?

XX. Lib. 2. de Hist. Pelag. pag. 161 ait Mor-
tuo Augustino Prosperum cum videret
eius opera à Cælestino approbata in Cas-
sianum, & alios Semipelagianos insurre-
xisse, & eos scelerioribus dictis excepisse,
nam Calumniatores, Lupos, Hypocritas
appellauit in opere contra Collatorem.
In Epistola tamen missa Romam ad Sa-
cram Congregationem sibi contradicit,
& infirmat testimonium Prospere, ut libe-
ret Cassianum.

Dixi reliquias ad opusculum Noris auto-
matus recrueamus, quod adorat Amal-
eus.

CENSUS.

CO.

(XIX.)

COROLLARIUM

Testimonium

Serenissimi, Eminentiss. Reuerendissimi

CARDINALIS LEOPOLDI

A M E D I C E S

De S. Vincentio Litinensi.

Hic bis Purpuratus Heros ultra Principatus apicē Religionē, Virtute, Doctrina cœctus Norim s̄epe reprehendit de calumnia Semipelagianismi imposta S. Vincentio Litinensi, quod ea abhorret à veritate, ac pietate. Notam sibi est: Viri innocentiam, & puram doctrinam, omni suspicione alienam. Quem ut mitigaret Noris omnem lapidem mouit, ac unum ei librum dedicauit.

Aliud.

Illustrissimi, & Reuerendissimi Archiepiscopi à Rosano Ordinis Sancti Benedicti clariſſimi Theologi, acerrimo ingenio, grauitimo iudicio, omnigena litteratura, ac nomine Eminentissimo, ac Reuerendissimum Principi Cardinali Francisco Barberino, pientiae,

pientia, ac virtutis Ideæ acceptissimi.

Quæsitus ab eodem: quid hac in controuersia sentiret? Respondit Imputandi Semipelagianismum Vincentio Lirinensi nullum se inuenire probabile fundementum. Vidi hoc testimonium Italica lingua scriptum Tergesti in Epistola missa ad Amicum Patauij degentem.

Aliud.

Illusterrissimi Viri Antonij Magliabechi Bibliophylacis Serenissimi Magni Hetruriæ Ducis.

Adjicio clientem Patrono Leopoldo, cui charus in paucis extitit propter infinitam lectiōnem: incredibilem rerum comprehensionem: mirabilem eruditōnēm, à quo magnum decus, & ornamentum accipit tota Hetruria. Is in litteris ad Venetias ad familiarem datis, quas ibi perlegi sic: Commonitorium Sancti Vincentij Lirinensis aureum existimo, nihil in eo est non diuinitus dictum, ac nullum ei cuiusvis Sanctorum Patrum opus antepono. Quod testimonium non potest cum illis calumnijs Noris consistere. Laudo Magliabechum; quem sāpè Noris laudat.

Animaduerto Norim c. 11. li. 2. de Hist. Pelag. comparare Vulpi Vincentium Lirinensem, in adulteranda, ut ipse putat, epistola Decreta. Ii Cælestini; quomodo ergo vult eum in Al-

(XXI.)

tari sustinere , & pro Sancto adorare ? Mihi non persuadebit , qui non didici à Matre Ecclesia quidquam eius generis, præter Agnum Dei , qui tollit peccata mundi colere , & adorare .

Quæ hactenus diximus applicanda sunt S.Hilario Arelatensi , qui in Martyrologio Romano cum simil relogio ponitur *Doctrina & Sanctitate conspicui 5. Maij.*

C L A V S V L A

Ad Norim in sui defensionem scribeantem,

Obiecta partim vitando suppressit , partim multa in se verba retorquendo tota obscuritate confudit : aliqua magis falsis argumentis , quam veraratione , ut ad tempus poterat videri purgauit negando , alia falsa interpretatione vertendo . Sed visinam , quod optandum magis est , etiam je ille ad veram Fidei viam ab illo sui trahitis errore conuertat , ut cupiat , volitque purgari , ad Catholicam Fidem corde conuerso .

S. Innocentius I. Papa Epist. 96. inter Epistolas Augustini tomo 2.

permanente e pubblica? Ma i
comuni comitati elettorali possono puntare D'Adda
L'intero voto italiano , da un'ideologia
di cui la parola chiave sono soluzioni per
l'agricoltura italiana , che non ha mai
avuto una politica , ma solo soluzioni
per le grandi proprietà dei latifondi.
Le grandi proprietà hanno sempre
avuto una politica , quella di creare
una classe di proprietari agricoli , la
classe dirigente della società Agraria.
Le grandi proprietà hanno sempre
avuto una politica di creare una classe
dirigente dell'agricoltura , la classe
dei grandi proprietari agricoli .

CITY OF SATTA

“我必须得把事情弄清楚，才能继续工作。”